

tempore vitae pro tempore futuro, nempe in ultimo instanti sui esse in quo ut plene dominus res suas aliis donat. Dicimus in ultimo instanti sui esse, quia licet testamenta saepius multo ante mortem fiant, tamen testator non alia voluntate facit, quam voluntate disponendi de rebus suis in morte, quare usque ad illud instans res non donat, in quo distinguitur testamentum a donatione mortis causa et ante mortem acceptata.

III. Indubium est apud omnes posse supremam potestatem sive ecclesiasticam, sive civilem intra earum ambitum ita irritare contractus ut nullam obligationem pariant in foro conscientiae; a) Quia id postulat bonum commune propter periculum fraudum, ad vitandas lites ut cum majore cautela contractus in quibus est periculum injustitiae fiant. b) Quia admissa tantum irritatione in foro externo, parum utilis censeretur lex cum solum deserviret ad fovendam iniquitatem ejus, qui conscius de obligatione et valore contractus adhuc intentaret spoliare justum possessorem, auferendo propter defectum solemnitatis id, quod ab ipso in foro conscientiae auferri non posset. c) Quia durum esset cogere iudices ad favendum huic injustae petitioni, quando ipsis constat contractum coram Deo valuisse, et non posse adversarium sine peccato petere quod petit.

IV. Quaestio est an de facto semper ac desit aliqua solemnitas jure positivo requisita, eo ipso contractus sit nullus in foro conscientiae? Quaestioni sic universaliter propositae respondent juxta Lugonem (1) quatuor sententiae: 1.<sup>a</sup> pronuntiat validum esse testamentum, et contractum non dolo aut metu factum dummodo non desit consensus. Est Plinii secundi lib. II, Epist.; ad Anianum. Eum sequuntur plurimi ut Alexander, Medina, Silvester, Navarro, etc., quos affert Sanchez, lib. IV, consilior: c. 1, dub. 14, n. 2. 2.<sup>a</sup> Extrema negat hujusmodi testamenta vel contractus valere etiam in foro conscientiae. Hanc tenent etiam plurimi, inter eos recensentur Covarrubias, Vazquez (2), Becanus, etc. Dicunt hanc sententiam probabilem Lessius et Sanchez. 3.<sup>a</sup> Dicit non esse omnino nullum testamentum vel contractum sine solemnitate factum, sed valere ad hoc, quod possessor potest retinere, donec per sententiam condemnetur, post sententiam vero tenetur restituere. Est Soti, Sanchez et aliorum, quos ipse refert et sequitur. 4.<sup>a</sup> Est Molinae (3) et Lessii (4), qui, quoad testamenta adhaerent primae, quoad alios contractus secundae.

(1) D. 22. sec. 9, n. 249-251. — (2) De testam. c. 3, dup. 1, n. 4; in 1, 2, D. 164, c. 3, n. 36. — (3) D. 81. — (4) L. 2, c. 19, dub. 13.

V. Ex his jam deduces duas sententias convenire in admittenda invaliditate pro contractibus aliis a testamentis; et quidem rationes allatae not. III id rationabilius et probabilius faciunt; adde quia in aliis contractibus a testamentis, unicuique ex contrahentibus constat se vere celebrasse contractum minus solemnem, unde si ex eo oriretur obligatio naturalis, nullus eorum posset tuta conscientia ex eo capite illud revocare, nisi forte petendo ut in poenam alterius revocaretur.

Et re vera ex Jur. Can. «servandae omnino sunt praescriptae Juris solemnitates, inter quas praecipuum locum tenet in alienationibus (1) Beneplacitum Apostolicum, sine quo alienationes rerum Ecclesiae nullae sunt. Idemque dicatur de forma a Tridentino (2) constituta quoad matrimonii validitatem.» Ex Jur. Civil. prima sententia «conformior videtur toti recentiorum legum contextui (3). Etenim contractus formas non enumeravit inter conditiones *essentiales* ad validitatem contractus. Quare hisce formis, illud tantum videtur intendere, instrumenta scilicet seu media determinare, quibus voluntas partis contrahentis apud iudices constare valeat. Quin immo publica instrumenta non videntur explicite requiri ad validitatem actus, sed tantum ad probationem (4).»

In thesi sejungimus causas pias a prophanis, quia de piis minus dubitatur valere etiam sine juris solemnitatibus; constat ex cap. *Relatum* l de Testamentis.

117. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Leg. *Etsi inutiliter*. 2 Cod. de Fideicommissis, ubi dicitur, non posse per te repeti fideicommissum relictum a defuncto inutiliter (i. e. in scriptura minus solemniter) si tu sciens voluntatem defuncti, cujus es haeres illud praestitisti, «cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relictis fideicommissis, defuncti voluntati satisfactum esse videatur.» Sed hic aperte supponitur ex testamento imperfecto, oriri obligationem naturalem, cui si satisfactum sit lex assistit, et quidem ea ratione, quae adhuc sublata assistentia legis, subsistit. Ergo...

2.<sup>o</sup> Numerus testium et similes solemnitates solum requiruntur in testamentis, ut fidem faciant in foro externo, seu ut falsitas et omnis deceptio evitetur, ut expresse dicitur Leg. *Quaestionem*, etc. de Fideicommissis, 32. «Cum enim res per testium solemnitate ostenditur, tunc et numerus testium, et nimia subtilitas requirenda est. Lex, enim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes compositum testamentum, majorem numerum testium expostulat; ut

(1) Extrav. *Ambitiosae* Pauli II. — (2) Sess. 24, cap. 1, de Refor. — (3) Noviss. Cod. hisp. aa. 1261, 1278, 1279. — (4) Idem. aa. 1278-1279; Ita ex Bucceroni. Inst. theol. mor. vol. 1, n. 936. alt. edit.

»per ampliores homines perfectissima veritas reveletur... Cum et »in leges respeximus, quae justis dispositionibus testatorum omni- »modo haeredes obedire compellunt; et sic strictius causam exigunt, »ut etiam amittere lucrum haereditatis sanciant eos, qui testato- »ribus suis minime paruerint.» Sed ex his clare patet, non fuisse mentem legislatorum reddere irrita talia testamenta in foro conscientiae, sed tantum in foro externo non assistere seu non dare actionem: sicut non dant actionem ex nuda promissione, nisi sit aliquo modo vestita.

3.º In Institutionibus, De rerum divisionibus § *Per traditionem* dicitur: «Nihil est tam conveniens naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi.» Ergo non est conveniens naturali aequitati ut omissio talium solemnitatum (presertim si per ignorantiam vel oblivionem vel impotentiam proveniat) hanc voluntatem reddat invalidam. Valde enim durum est, ut non possim testari, vel aliquid legare in favorem amici eo quod desit unus testis vel notarius; et quod ob hanc causam amicus teneatur in conscientia, restituere fratribus meis, vel aliis cognatis, quibus ex justis causis, nihil volui relictum.

4.º Leges corrigentes jus naturale sunt strictae interpretationis. Sed, ut fatetur De Lugo (1), plus quam leges romanae, leges nostrae (2) irritabant testamenta non solemnia, cum dicerent non valere nec intra nec extra iudicium; et tamen haec verba stricte sumpta adhuc non auferunt valorem naturalem testamentorum. Ergo... *Min.* prob. Quia illa verba optime possunt intelligi de sola vi extrinseca quatenus non solum a iudice, sed ab omnibus possit recusari quidquid vi huiusmodi testamenti intentetur.

5.º Idem a fortiori asserendum juxta ultimum codicem art. 687: «Será nulo el testamento en cuyo otorgamiento no se hayan observado las formalidades respectivamente establecidas en este capítulo (3).»

118. Obj. 1.º Cum Covarrubia ex Leg. *Hac consultissima* 21 Cod. de testamentis: «Non subscriptum a testibus ac non signatum testamentum, pro infecto haberi convenit» et subdit: «Ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti (nisi inter solos liberos habeatur) non volumus.» Et brevius in Institut. § *Ex eo*. Quibus modis testam. infr. dicitur: «Imperfectum testamentum nullum est.»

Resp. Hae leges et similes loquuntur de nullitate in foro externo;

(1) D. 22, n. 263.—(2) 3 Tauri.—(3) De testamento clauso solemnitate legali destituto art. 715. Cod. civ. statuitur: «Será válido, sin embargo, como testamento ológrafo, si todo él estuviere escrito y firmado por el testador y tuviere las demás condiciones propias de este testamento.»

conc. in foro interno; neg. Rationes cur lex possit denegare actionem etiam testamentis naturaliter validis sunt. a) Vitare lites. b) Ad excludendas varias hominum artes et machinationes, quibus conati fuissent ultimas voluntates intervertere; dum enim vident tam multa requiri ad faciendam fidem in testamentis, desperant de hac re, et cessant a fraudibus. c) Ne haeredes ab intestato, quibus non constat de voluntate testatoris, gemino dolore afficerentur, si privati solatio defuncti, cogentur extraneis dare haereditatem; quod si illis de voluntate defuncti constet, non possunt queri, quia par est, ut satisfaciant voluntati defuncti, quam ipsi agnoscunt.

Obj. 2.º Si illa testamenta in foro conscientiae essent valida inique iudices adjudicarent haeredibus ab intestato; forent enim apertam injustitiam, et praeberent occasionem haeredibus illis, inique petendi quod aliis relictum est.

Resp. Neg. suppos. quod adjudicent, sed tantum negant actionem, quia alius non probat et quamvis concedatur haereditatis repetitio contra juste habentes jure naturali, hoc permittitur ex bona fide in qua putantur esse contrarii, non tamen intendit iudex discernere rem absolute illorum esse, sed esse illorum quatenus apparet ex probationibus, quae jure admittuntur, interim relinquens eos suae conscientiae.

Obj. 3.º Ex Leg. 7, Codicis. de *condition. indebit.* datur repetitio haeredi, si ex ignorantia facti (nempe ex eo quod putaverit testamentum esse solemne) solverit legatum vel fideicommissum; non autem si ex ignorantia juris (i. e. si solverit eo quod putaret testamentum minus solemne esse validum). Ergo lex neque obligationem naturalem admittit.

Resp. Neg. *conseq.* Quia verba legis sufficienter explicantur pro foro externo, quin nihil cogat ad intelligendam annullationem plenam.

Obj. 4.º Si tale testamentum in foro conscientiae est validum, tutor non poterit agere pro pupillo, (qui est haeres ab intestato) ad rescindendum testamentum in favorem alterius conditum. Sed hoc est grave incommodum pro tutore; si enim agit, peccabit mortaliter; si non agit, condemnabitur ut pupillum reddat indemnem. Ergo...

Resp. Non posse agere; si vero ideo cogatur pupillo compensare damnum, pupillus tenetur ei in conscientia ad restitutionem, et ipse potest occulte tantundem detrahere ex illius bonis.

119. *Corollarium.* Cum sententia contraria sit vere probabilis, practice est vere probabilis et tenenda sententia Sanchezii et aliorum, qui ante sententiam iudicis, docent standum pro possessore haereditatis.

Haeredibus tamen ab intestato licet, quia jus habent probabile, haereditatem coram iudice repetere.

An possint se compensare occulte, si hoc sit eis impossibile, affirmat Lessius (1) tamquam consecrarium ex sententia probabili et segura in conscientia.

Haec sunt potiora, quae de modis acquirendi dominium discutienda visa sunt; ad finem monendum, casus graves in hac materia praecipue occurrentes non extemplo resolvendos esse, nisi consultis legibus loci a quibus plurimum pendent.

## ARTICULUS IV.

## De injustitia.

120. **Praenotanda.** I. Injuria vel injustitia potest sumi late prout opponitur justitiae etiam late sumptae; quo sensu, sicut omnis virtus appellatur justitia, sic omnis iniquitas et inobedientia dicitur injustitia, cum ponat inaequalitatem cum regula rationis et cum lege. Potest sumi specialiter prout opponitur legali justitiae, et sic (2) «est speciale vitium, in quantum respicit speciale objectum, »scilicet bonum commune, quod contemnit;» et potest consequenter «esse vitium generale, quia per contemptum boni communis »potest homo ad omnia peccata deduci.» Nunc agimus pressius de injuria prout opponitur justitiae particulari unicuique suum jus tribuenti. Injuria potest esse materialis vel formalis; materialis quando laeditur quidem jus alterius, sed absque voluntate vel advertentia; formalis e contra si cum voluntate et advertentia injuriae; ideo:

Injuria formalis est voluntaria laesio seu violatio juris alieni.

Ita communiter auctores cum Angelico (3), qui ait: «Facere »ergo injustum ex intentione et electione est proprium injusti, secundum quod injustus dicitur, qui habet injustitiae habitum; sed »facere injustum praeter intentionem vel ex passione potest aliquis »absque habitu injustitiae.»

Si dicis, quicumque facit aliquid intemperatum dicitur intemperatus, etsi involuntarie faciat. Ergo a pari, si quis est materialiter injustus.

Resp. Dist. *antec.* Dicitur intemperatus ratione praecise actionis; neg. Ratione subjecti, in quo est actio, est formaliter seu dicitur intemperatus subdist. Si actio est ei improporcionata et formaliter eam vult; conc. Si eam non vult; neg. Si aliquis metu mortis cogi-

(1) L. 2, c. 19, n. 30 ex quo fere omnia hic dicta desumpsimus.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 59, art. 1.—(3) 2, 2, Q. 59, art. 2.

tur inebriari, tantum est materialiter intemperatus. Ratio est, quia quod est praeter intentionem et per accidens in temperantia, secundum se nec est temperatum nec intemperatum, saltem proxime, cum nullam relationem dicat ad subjectum, nec ejus passiones immutet seu excitet aliter ac si esset res proportionata, ut patet in Noe bibente vinum; e contra in materia justitiae id quod est praeter intentionem est vel manet aequale aut inaequale juri alterius. Tota ratio desumitur ex eo quod materia proxima aliarum virtutum, ut temperantiae et fortitudinis, sint passiones (1).

II. Aliqua jura sunt mobilia, quae potestati hominis subsunt, ut jus ad famam, ad bona fortunae, etc. Alia immobilia, quae potestati hominis non subsunt, saltem ut licite eis renuntiet, ut jus in vitam, in conjugem, etc. Item duplex dari potest seria et efficax voluntas in domino alicujus rei: una est voluntas sibi retinendi rem: altera sibi retinendi jus ad ipsam rem. Prima dici potest voluntas facti, altera juris. Possunt hae voluntates realiter separari, ut patet in eo, qui optat sibi rem suam ab altero subripi, ut habeat occasionem illum puniendi; qui eam subripit veram infert injuriam volenti voluntate facti, sed invito voluntate juris.

His positis quaerunt auctores cum D. Thoma (2), utrum aliquis possit pati injustum volens, quod debet intelligi plene; nam si quis metu gravi inducatur ad dandam pecuniam latroni, adhuc injuriam patitur, quamvis consentiat, quia non relinquatur in sua libertate morali. Responsio communior est.

Plene volenti et consentienti injuria fieri nequit.

Quoad jura mobilia est certa et admittitur ab omnibus; quoad jura immobilia est tantum probabilior (3). Probant auctores. a) Ex regul. 27, juris 6.º «Scienti et consentienti non fit injuria neque »dolus.» b) Cum D. Thoma (l. c.): Illud proprie homo patitur, quod praeter voluntatem suam patitur. Sed si plene vult et consentit actionem in se injuriosam, non praeter voluntatem patitur. Ergo... *Maj.* prob. Quod non est praeter voluntatem hominis, sed juxta eam, est ab homine secundum quod homo est volens. Sed secundum quod homo est volens nihil est ei praeter voluntatem; immo cedit omne jus, si quod haberet, in contrarium. Ergo... *Confr.* Eatonus homo invitatus pateretur injuriam, quatenus laederetur in iis in quibus jus licite saltem cedere non potest. Sed haec ratio est nulla, ut patet tum in eo qui se occidit, qui sibi ipsi inju-

(1) Lessius aliter solvit. L. 2, c. 7, n. 10.—(2) 2, 2, Q. 59, a. 3.—(3) Cum Molina D. 2, n. 2, Lessio, L. 2, c. 7, n. 13, Lugone. D. 8, n. 3, etc. contra Cajetanum, Dicastillo, etc.

riam facere nequit, non modo quia justitia est necessario ad alterum, sed quia simul nequit esse nolens et volens, tum in eo, qui violat filiam consentiente parente, non facit injuriam parenti, et qui furatur a pupillo consentiente tutore, non facit tutori injuriam; et tamen isti juri suo cedere non possunt. Ergo ad formalem injuriam non sufficit, quod quis jure suo non possit cedere.

Adverte nihilominus consensum, quo quis injuriam contra se vult, non debere esse a jure irritatum, seu juridice nullum; propterea pupillus consentiens in alienationem bonorum suorum injuriam patitur, quia talis consensus irritatur a jure: sic clericus in sui percussione consentiens adhuc injuriam patitur; tum quia non potest cedere juri collato in favorem status clericalis; tum etiam quia, licet consentiat, non per hoc habetur cessio juris, quod residet in tota communitate clericorum.

Dices 1.<sup>o</sup> Marito libere consentienti in adulterium uxoris injuria irrogatur: ergo hujusmodi consensus non impedit injuriam. *Antec. prob.* Quia aliter committens adulterium, marito consentiente, posset in confessione dicere se patrasse solam fornicationem, quod est damnatum ab Innocentio XI (1).

*Resp. Neg. antec.* Ad prob. *Neg. vel dist.* posset dicere patravi solam fornicationem, si peccatum adulterii solum opponeretur juri mariti; conc. Si etiam opponatur aliis bonis matrimonii, ut fidelitati et bono prolis; neg. Ex hac doctrina infert Lugo (2) debere adulterum declarare in confessione se adulterium commississe, consentiente parte laesa, quia est circumstantia mutans speciem, non quidem quod sic peccare sit aliquid gravius, sed quod sit levius, nam, cum communiter adulterium fiat invito marito, confessarius communiter subintelligit hanc circumstantiam, unde eam addere necesse non est, nisi contrarium eveniat, quod aliquando fieri licite dicit, si v. g. uxor etiam invito marito peccaret, et ipse, ut gravitatem peccati minueret, consentiret.

2.<sup>o</sup> Christus et SS. Martyres passi sunt injuriam. Sed juxta nos non passi essent, cum liberaliter passi sint et pati desideraverint. Ergo...

*Resp. Conc. Maj.; Dist. Min.* Juxta nos, etc., si ex eo quod liberaliter passi sunt, sequeretur illos cessisse juri suo ad propriam vitam; conc. Si hoc non sequitur; neg. Jam vero hoc non sequi constat, tum quia per se juxta plurimos illicitum erat eis cedere huic juri, tum cum Lugo (3), qui, licet putet eos potuisse illi juri cedere, tamen dicit id eos non fecisse; quia per talem cessionem non imminuta fuissent peccata tortorum, qui eam cessionem

(1) Propos. 50, 2, Mart. 1679.—(2) D. 8, n. 10, 14.—(3) Ibid. n. 7.

vel ignorantes vel contemnentes, non minus peccarent: ulterius cum martyres non cedendo suo juri, plura pro Christo, scilicet etiam injuriam potuerint pati, noluerunt illi juri cedere.

### THESIS XVIII.

Restitutio est actus solius justitiae commutativae.

121. *Nota.* Restitutio est «rei injuste acceptae redditio, vel damni illati compensatio» si stricte sumatur, [nam late comprehendit omnem solutionem et satisfactionem, quo sensu ille qui emit equum, restituere dicetur quando solvit pretium; et minus improprie dicetur restituere commodatarius vel mutuatarius, quando reddit commodatum vel mutuum. Thesis est communis quatenus dicit restitutionem pertinere ad justitiam commutativam, quatenus vero dicit ad solam est probabilior sententia Suarii, Lessii, Rebellii, Lugonis cum D. Thoma (1) contra Cajetanum, Molinam, Vazquezium, asserentes etiam ex justitia distributiva oriri obligationem restituendi. Horum sententiam valde probabilem dicit Platelli (2).

122. Prob. 1.<sup>o</sup> Cum D. Thoma in *Sed contra* (l. c.) Restitutio ablationi opponitur. Sed solum in justitia commutativa datur proprie ablatio rei alterius. Ergo... Prob. *min.* In aliis justitiis a commutativa jus sive partis ad bona communia, (quod respicit distributiva), sive communitatis ad particularium bona, (quod respicit legalis) per se non est jus constituens illud habentem in jure proprietatis nec in totum nec in partem bonorum sive communium, sive particularium; ut patet juxta communem sententiam, casu quo quis, secluso pacto omni, confert officium digno, relicto digniore, qui certe erat praeferendus. Ergo.

2.<sup>o</sup> A priori cum Lugo (3). Bonum a justitia commutativa intentum eodem modo obligat v. g. post furtum ac antea, quod non accidit in aliis virtutibus etiam sub justitia comprehensis. Ergo illa obligat sola ad restitutionem, non aliae. Prob. *antec.* Justitia commutativa respicit formaliter bonum aequalitatis, i. e. quod unusquisque habeat quae sua sunt, et nemo sine suis rebus maneat, aliae vero virtutes alia bona, et sub justitia comprehensae, aequalitatem quidem, sed non in rebus suis. Sed illud bonum habendi unusquisque quod suum est manet semper, si enim furatus es equum Petri, usque dum restituas non erit aequalitas; e contra v. g. in charitate, licet proximo in necessitate constituto non suc-

(1) 2, 2, Q. 62, a. 1.—(2) De just. et jur. n. 730.—(3) D. 1, n. 52.

curras, transacta necessitate, jam deficit bonum charitatis et non teneris, etc. Idem evenit in aliis justitiis a commutativa. Ergo.

123. Obj. 1.<sup>o</sup> Cum Angelico (1): «Aliquid potest homini »subtrahi non solum in commutatione, sed etiam in distributione, »puta cum aliquis distribuens, minus dat alicui quam debeat habere. Ergo restitutio non magis est actus commutativae justitiae, »quam distributivae.»

Resp. Cum eodem Angelico dist. *antec.* Si in distributione admiscetur titulus justitiae commutativae; conc. Si non admiscetur, seu praecise ratione justitiae distributivae; neg: «Recompensatio, quam facit distribuens ei, cui dedit minus quam debuit, fit »per comparisonem rei ad rem, ut quanto minus habuit quam debuit, tanto plus ei detur; et ideo jam pertinet ad justitiam commutativam.» Hoc accidit v. g. quando proponitur concursus cum formali vel virtuali pacto eligendi digniores, tunc enim si eligitur dignus, praetermisso digniore, tenetur distribuens huic restituere ob violatum pactum.

Obj. 2.<sup>o</sup> Si bona est ratio P. Lugonis, justitia distributiva non minus obligabit ad restitutionem, quam commutativa; nam distributivâ violata adhuc perseverat idem motivum, nempe quod detur aequalitas proportionis inter membra communitatis. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* et ad rationem dico: manere inaequalitatem sed sine obligatione compensationis; conc. Cum obligatione compensationis; neg. Nam licet possit iniquus distributor damnum resarcire, ei qui minus de bonis communibus accepit, dando de bonis propriis, quid ei defuit, tamen per hoc non ponitur, quod justitia distributiva intendit nempe: proportionata bonorum communium distributio. Si vero distributor non restitueret de bonis propriis, sed de bonis communibus, auferendo excessum portionis ab eo, qui supra sua merita accepit ut daret ei qui acceperat minus, tunc laederetur justitia commutativa quia facta distributione translatum est dominium in accipientem.

#### THESIS XIX.

Restitutio est ex praecepto necessaria ad salutem.

124. Nota. Ea dicuntur esse de necessitate medii, quae aliquando seipsis, aliquando per sui votum causant primam gratiam sine qua salus obtineri non potest, ut Poenitentia, Baptismus, etc. De necessitate praecepti dicuntur ea, quae inculpabiliter praetermissa

(1) 2, 2, Q. 62, a. 1 ad 3.

non impediunt salutem, nam ideo debent adhiberi, quia si omittentur offenderetur Deus, qui inde sumeret justam causam damnationis aeternae. Guido libr. de haeres. et Castro libr. XIII de haeresibus v. *Restitutio* referunt ex graecis aliquos affirmasse non esse necessariam restitutionem injuste ablatorum, sed sola poenitentia remitti peccatum rapinae. Thesis est catholica et opposita haeresis.

125. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex libro Tobiae (1) *Cum vocem balantis* (haedi) *audisset* (Tobias) *dixit: videte ne forte furtivus sit reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Apostolus ad Roman. (2) *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* i. e. juxta Augustinum et Chrysostomum, praeter debitum amoris cui numquam fit satis. Exod. (3): *Si laeserit quispiam agrum vel vineam... pro damni aestimatione restituet.* Ezech. (4): *Si impius... egerit poenitentiam... pignus restituerit ille impius... rapinamque reddiderit... vita vivet.*

2.<sup>o</sup> Pro Pratribus sit testis S. Augustinus (5): «Si res »aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, »poenitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, »non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.»

3.<sup>o</sup> Ratione cum D. Thoma (6): a) Conservare justitiam est de necessitate salutis. Sed justitia non conservatur si indebite non restituitur, seu retinetur ablatum. Ergo... *Min.* prob. Quia justitia intendit aequalitatem. Sed aequalitas non datur dum aliquis indebite retinet rem alterius. Ergo... b) Furari ob id est peccatum quia nocumentum infertur. Sed non minus nocumentum infertur detinendo apud se alienum. Ergo... c) Ex perversione boni communis et rei publicae. Mali enim cupiditate habendi, aliena raperent, scientes se non teneri postea reddere, sed sola poenitentia consequi remissionem. Ergo...

Prob. 2.<sup>a</sup> Pars. Est necessaria ad salutem ut constat ex prima parte. Ergo vel necessitate medii vel praecepti. Sed non primo modo, nam necessitati restituendi non conveniunt, propria eorum, quae sunt de necessitate medii. Ergo... *Min.* subsump. prob. Restitutio non est medium ordinatum ad causandam primam seu habitalem gratiam in eo, qui eam caret; quia non secus requiritur ad salutem quam requiratur impletio cujuslibet alterius praecepti, v. g. audiendi sacrum, graviter obligantis. Sed nemo dicet omnem

(1) II, 21.—(2) XIII, 7, 8.—(3) XXII, 5.—(4) XXXIII, 15, 17.—(5) Epist. ad Macedon.—(6) 2, 2, Q. 62, a. 2.